THEODORI GRAMI-
NAEI IN ESAIAM ET PROPHE-
TIAM SEX DIERVM GENE-
seos, Oratio :

QVA OMNIVM PROPHETARVM ET LEGIS ARgumenta ſummatim comprehenduntur, & ratio Antichriſti eiuſq; præcurſoris Lutheri euidentiſsimè declaratur.

Apocalyp. 16.

Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ exire ſpiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium omnipotentis Dei.

COLONIAE
Anno M. D. LXXI.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO HENRICO A MVLHEM, ABBATI S. PANTALEONIS Coloniæ, Domino ſuo perpetua obſeruantia colendo S. P. D.

REuerende atq; religioſiſsime D. Abbas, dum tui propoſiti atq; ſtudij, quo antiquum cœnobiorum ſtatum in tuum cœnobium celeberrimum introducere contendis, recordor, atq; affectus tui ardentiſsimi votum, quo fructum atq; emolumentum operis inchoati expectas, mecum conſidero, in eo omnes meas cogitationes atq; actiones dirigo, vt expectationi tuæ reuerentiæ, quantum mea fert induſtria, atq; fratrum tuorum commoditati, pro talento mihi dato, ac ingenij mei modulo, inſeruiam. Reuerentia enim tua nouit quòd huic muneri vt in tuo cœnobio doceam me non ingeſſerim, ſed potiùs ad Reuerentiæ tuæ inſtantiam & poſtulationem, cui quicquam denegare in tam pio ac frugifero propoſito cùm turpe iudicarem, munus illud humeris meis haud grauatim impoſui. Neq; dubito quin tam pijs votis fucceſſus reſpondeat, quandoquidem cùm lectionem Eſaiæ inchoauiſſem, in eo magnam felicitatem & proſperitatem huius tam ſancti propoſiti deprehenderim, quòd ſumma cupiditate ſacrarum lite-

rarum fratres tui accendi ac inflammari mihi visi sint. Quocirca singulari desiderio non tam audire me prælegentem & assidua diligentia ac animo intentissimo quæ audissent subinde secum repetete, verùm etiam à me quàm vehementer contendere, vt quod docuissem, illis calamo excipiendum, quo tenacius memoriæ hæreret, traderem, non intermitterent: facere non potui, quin studijs illorum, quantum in me esset, per omnia commodarem, & tam iustis illorum precibus morem gererem, præcipuè cùm non dubitem fore, vt hac ratione facilimè cursum studiorum suorum, & optatum finem contingere valeant. Hic noster animus verò, & ratio docendi, cùm quoq; ad aliorum aures peruenisset, alijsq; perplaceret, non iam me cohortabantur ad continuandũ hoc meum studiũ & diligentiam, verùm etiã importunius apud me instabant, vt exordium siue præfationem atq; orationem, qua Esaiam exorsus fueram, tanquam specimen quoddam mei erga te fratresq; tuos, atque totum cœnobium amoris, obseruantiæ, & reuerentiæ, in lucem ederem. Quod quidem consilium, vt Reuerentiæ tuæ aliquod gratitudinis signum ostenderem, mihi non potuit non placere: sed vbi animaduerterem, quàm curta esset mihi supellex, quàm impares tanto oneri meæ vires, quàm denique multis parasangis me doctiores & peritiores maximè in hac amplissima Colonienſi vniuersitate in studio præsertim Theologico existant florentissimi, non potui non in excudendis his meis primitijs, & prodenda mea infantia exhorrescere, vel ut

luti quæ me iure ac merito ab eo proposito reuocarẽt: vicit tamen meam pusillanimitatem magnorum virorum iudicium, quod me etiam inuitũ ad excudendam hanc orationem impulit. Hanc itaq; meam opellam, cùm mecum paulò diligentius expenderem, cui iustius dedicare & consecrare deberem, neque digniorem tua Reuerentia vllum, neq; idoneum magis ad quem hæc studia referri debeant deprehendi, tanquam cuius fidei & fratres commendati, & ego adstrictus, & studia deniq; ipsa meritissimo iure credita sunt: vt iam nihil esse possit hac in re, quod à te non dependeat, idemque in teipsum redundet, quo nomine vel solo nihil in studijs meis, nihil in fratribus tuis, nihil in vniuerso cœnobio esse possit quod tuum non sit. Accipe ergo Reuerende Domine hanc orationem, quam tu tibi optimo iure vendicas, quo ego eam tibi dico & consecro, quo hęc tibi debetur, quo ad extremum tu tibijpsi deberis, vt tanta sit tui studiorumque meorum, & fratrum tuorum conglutinatio, quanta esse possit in eo à quo omnis discordia quàm remotissimè abesse debeat, & tanquam in præsidio tutissimo conquiesce, vt & nos ex te toti dependere, & tu in nobis lætari, & fructum copiosissimum percipere, valeas. His, optime ac Reuerende Abbas, quàm diutissimè valebis, meq; tui amantissimum redamabis. Datum Coloniæ 3. Calend. Septemb. Anno 1571.

Tuæ Reuerentiæ

Deuinctissimus

Theodorus Graminæus.

THEODORI GRAMI-
NAEI IN ESAIAM ET PROPHE-
TIAM SEX DIERVM GENE-
seos, Oratio:

Qua omnium Prophetarum & legis argumenta ſummatim comprehenduntur, & ratio Antichriſti eiuſq; præcurſoris Lutheri euidentiſsimè declaratur.

Ieronymus vir ſumma atq; admirabili integritate, in exponendis ſacrarũ Scripturarum locis incredibili & penè diuino iudicio, ac in vertendis libris ſacris ſingulari quadam & inaudita diligentia præditus, admonet eos, qui in ſanctis ſtudijs verſari cupiunt, vt timorem Dei Optimi Maximi in primis ſibi proponant. In cuius ſententiam pedibus iuit Auguſtinus Hipponenſis epiſcopus, acri iudicio vir, & arguto quodam dicendi acumine nemini ſecundus. Sentit idem & Ambroſius, pari morum ſynceritate atq; eruditione. Præterea tot Chriſtianorum ſententiæ, ex ſanctis voluminibus excerptæ idem volunt. Initium ſapientiæ timor Domini. Timete deum, & date illi honorem. Quę ſententiæ vim quandam, & illam quidem admirabilem afferunt, euoluendis diuinorum myſteriorum codicibus, cùm ex illis abundè ſatis quo pacto deus colendus ac honorandus ſit, perdiſcamus: ſiue ſynagogam ſeu tempus legis, ſiue tempus gratiæ conſideres, quo æterni patris æternus filius nos à peccato, dæmonis retinaculis, & oneribus legis liberauit. Hinc eſt vt Iob diceret, Timorem Domini ſapientiam eſſe, recedere à malo intelligentiam. Tanta eſt huius timoris ſecuritas, tam ampla, tamq; inſignis nobilitas, vt eam vix cuiuſquam mens aut cogitatio capere poſſit. Confirmat hæc Salomon varijs in locis. Quæſo quid illuſtrius, quàm abdita diuinorum verborum hoc timore vel maximè aſsequi? Quid obſecro tam propinquum diuinitati? quid per Deum immortalem tantæ potentiæ, cùm hominem effrenem elato quidem animo atque ſuperbo imbecil-

imbecillitatis atque fragilitatis humanæ arguat,& ad eam ſui cognitionem reuocet,quam erudita illa antiquitas ex oraculo Apollinis meritò natam & cœlitus planè demiſſam diceret, de cœlo enim deſcendit γνῶθι σεαυτὸν, vt luce clarius ſit, hoc dei immortalis munus,hoc donum admirabile,maius eſſe & ſublimius,quàm vt quiuis cogitare poſsit. Nam præterquam quòd ab omni animi φιλαυτία nos auocet, traducatque ad eum naturæ noſtræ contemptum, quem meritò vnuſquiſque vel cernit, vel ſentit,ponit ante oculos ignorantiam quandam, quam ex primi parentis imprudentia,fato quodam & hauſimus, & expreſsimus. Hinc illæ anguſtiæ hominum,hinc illa cœcitas, hinc illa caligatio, qua mentes mortalium corporis vinculis ſeu retinaculis quibuſdam reſtrictæ veluti cœca caligine oppreſſæ videntur, vt niſi reiteratis laboribusac honeſtis ſtudijs incumbentes,ac lumine claritatis Chriſti illuſtrentur,in extremam quaſi tenebrarum voraginem demerſæ deuoluantur. Porrò timor tanto eſt nobis vſui,tantum lucis affert huic ignorationi,quam ex primo didicimus homine, vt conſcij noſtrarum miſeriarum & noſtrarum virium infirmitatis eas exiſtimemus hoc euentu labefactatas eſſe & fractas,debilitatas atque mancas, vt planè intelligamus lumina illa animi noſtri, & igniculos mentis noſtræ, hoc grauiſsimo ac ſæuiſsimo errore adeò extinctos,vt non iam noſtro ſudore,noſtriſque laboribus,ſed diuino auxilio egeant. Contemplare, ſi lubet, qualis à Deo dimanauerat animus noſter: in primis,vt Academicis placet,diuinus. Nam ex cœleſtibus illis ſedibus ad nos miſſus ex illa ſumma atque incomparabili diuinitate,immenſa atque præſtantiſsima natura originem traxerat. Deinde omnium gnarus,in omnibus ſiue excogitandis,ſiue agendis oculatiſsimus: tum rectus: poſtremò omnibus in rebus Deo Opt. Maximo obſequentiſsimus. Cecidit. Deum immortalem, de quanta nobilitate? Deploranda profectò conditio,& perpetuis lacrymis animo reuoluenda. Non erat hic dicendi locus, dicam tamen, maximum atque tetrum vulnus accepimus,& tamen nos adeò nobis ipſis placemus, vt hæc,quæ ob oculos noſtros verſantur,minime videamus. Quid præclarius in terris in illo mundi lacte,quid ſapientius,quid abſolutius,quid pro dignitate excellentius animis noſtris? Subit animum dolor,& me debilitat commemoratione iſtarum calamitatum: exanimat me atque interimit amiſſa illa natura,incorrupta certè,& integra. Sed in tantis malis recreat nos atque reficit illa Dei Optimi Maximi clementia, immenſa benignitas,ſingularis erga homines beneuolentia,quam nobis,non ex perditiſsimis moribus,non ex illa Adæ licentia cunctis mortalibus calamitoſa,ſed potiùs ex iſto Dei timore conciliamus. Flectitur vel vna lacrymula infinita illa miſericordia, amplectitur nos ad ſe redeuntes, perinde atque pater ille

in Euan-

in Euangelio amplexus est filium, qui vniuersam substantiam suam abligurierat. Ergo quando hæc omnia ex timore Domini existunt, atque exurgunt, eximia erit potentia huius timoris, ingens virtus, incredibilis certè, atque omnibus modis suspicienda. Et vt nihil prætereamus, inter alia quæ potissimùm illum imperatorem ac seruatorem nostrum Christum deliniunt, & quæ nobis placatum ac propitium efficiunt, vis est istius timoris efficax haud dubie, & multis nominibus à viris probatissimis & cordatissimis laudata. Proinde cui est animus, hunc timorem exoscularí, alia quæ hunc timorem comitantur, habere necesse est. Pleraque sunt illa, sed inter alia pudor est, qui nos planè deterret à lectione sacrorum librorum, adeò vt pudeat hæc præstantissima atque excellentissima Dei arcana, hæc tantorum studiorum abdita, hoc procul dubio sacrorum verborum pelagus immensum, hanc tantis mysterijs obductam dictionem illotis (vt aiunt) manibus, & perfricta fronte tractare, nisi adsit diuinus ille interpres, summus ille doctor & magister, autor profectò sanctissimæ scripturæ Spiritus sanctus, qui suo fauore, sua erga nos pietate mentibus nostris tametsi indignis cœlitus illabatur, atq; insinuet. Sacrum est studium ac pientissimum, non ab homine ad nos missum, sed ab eo qui summa atque ineffabili sapientia, inclyta profectò bonitate condidit vniuersum, quo magis summopere nobis colendum, neque ad id accedendum, nisi prius soluerimus calciamentum pedum nostrorum. Campus est sacrosanctus, in quem non licet spaciari, nisi prius hanc carnem abiecerimus, & in spiritum transformemur Christi. Sapientissimè ille, qui Spiritum sapientiæ benignum vocauit, & fontem sapientiæ verbum Dei in excelsis, & illud, Omnis sapientia à Deo est: plenitudo sapientiæ, timere Deum. Addunt plerique, & illi viri grauissimi, splendorem quendam, & vt ita dicam, lumen splendidissimum patrum nascentis Ecclesiæ: & horum eruditioni ac doctrinæ quæ summa fuit & admirabilis, plurimum, & quidem meritò, tribuunt. vt putent multum lucis afferre illorum maiorum sententiam, vel è cœlo delapsam, euoluendis sacris Biblijs. Et reuera hærendum est interea nonnullis locis veteris ac noui Testamenti ænigmaticis, vmbra & velo ita obductis, vt nescias vtram in patrem inclines: tam sunt illa vmbratica, obscura certè, & tenebricosa. Sed cùm ita impingis, si horum virorum eximiam prudentiam, atque sapientiam penè diuinam, eruditionem bone Deus quàm fœcundam, Spiritus sancti gratia illustratam, consulueris, hoc præclarissimo refugio ac consilio nihil erit opertum, nihil fucatum, omnia detecta, & quæ antea erant implicata, horum eruditione explicabuntur: & quæ inuoluta, sanctissimis & nullis seculis interituris scriptis aperientur. nec mirum, cùm vestigia ipsius Christi seruatoris nostri clemen-

clementissimi eorum animis adeò fuerint infixa, adeò scripta, & pectoribus eorum insculpta, vt splendeat planè in eis verbum Domini, vnde omnis sacrorum librorum intellectus atq; cognitio. Huc accedit integritas vitę illorum, morum castimonia, illustres animi dotes, constantia illa animi plusquàm humana, libertas illa nec vergens vel ad impudentissimam licentiam, charitas in proximum tã feruens, vt multis nominibus celeberrimum horum virorum nomen ac decus Ecclesia Christiana amplissimis atq; eximijs laudibus extulerit, adeò vt eorum memoria fuerit omnib. seculis sacrosancta, neq; erit posteritas quæ non horum amplissimorum virorum honorificè meminerit. Quod si quis tantorum virorum doctrinam aspernatus fuerit, si quis neglexeit, vel contemptui habuerit, ineidet profectò in impudentissimos errores, passim hallucinabitur, hærebit vbiq;. Itaq; qui sacrarum literarum studijs se addixerit, auxilio istorum locos conferat, & antecedentia consequentibus adiungat, adhibeat delectum vel maximum. Quod in Esaiæ interpretatione studio ac labore, quanto quidem fieri potest humano, perficere laborabimus, modo à Christo seruatore nostro & timorem illum & pudorem impetremus. non enim omnibus contingit hoc munus: sed ijs tantum, quos diuina illa maiestas dignos viderit. Faciat illa Dei benignitas, & in homines clementia summa, quam in his meis laboribus supplex imploro, vt sim in eorum albo, quibus hæc duo concessa sunt. nam sine eius auxilio tanta est virium mearum imbecillitas, vt nihil possit, vel in hac suscepta prouincia commode præstare, nisi adsit lumen ipsum diuinum. Sufficientia enim non ex nobis, sed ex Deo est. 2. Cor. 3. Ioan. 6. Nemo enim potest venire ad filium, nisi attraxerit eum pater. Sunt timor & pudor spiritus sancti dona: quę ibi sunt, vbi ille vult spirare. Dum igitur in his versor, continuis precationibus agendum est mihi, vt susceptum opus ille absoluat, quod ego eius numine auspicabor.

Verum ne longiùs à proposito digrediamur, cum nobis hic (diuina fauente gratia) de prophetia seu prophetica præuisione dicendum sit, in primis attendendum erit solum Deum æternamq; mentem, ac diuinam essentiam, aut abeo instructum, quæ sunt contingenter futura, maxime vero quæ ab humana vel diuina voluntate dependent, posse cognoscere. Nam quæ naturę necessitate aut physicarum causarum concursu eueniunt, creaturæ quoq; rationales, sine diuina reuelatione possunt comprehendere. Prędixit chorus prophetarum quęcunq; Israelitico populo sub illo veteri statu, siue prospera siue aduersa euenerunt: adeò explicitè, vt potiùs præsen-

tes fuisse cum fierent, quam antea futura vaticinatos quis iudicet, Prædixit Chorus prophetarum sanctum incarnationis mysterium, Christi passionem, totamq; Euangelici status œconomiam adeo diserte, vt hos potius historicos voces quam vates. Nam quæ de finitimarum gentium, Babyloniorum, Aegyptiorum, Idumęorum, Assyriorum, Phœnicum, Græcorum, Persarum, Romanorum, &c. vastatione aut fœlicitate prædixerunt, ipsum rerum euentum comprobasse videmus. Neglecto itaq; cętero futurarum rerum cognoscendarum studio, quod aut Physicum aut artificiale facere poterimus, de solo eo agemus quod naturæ tantum suffragio, siue angelica siue humana perficiatur natura, Quod tamen non ita intelligendum, quasi aut in homine aut angelica natura prophetiæ spiritus conquiescat nisi à Deo diuinitus, à quo omne donum perfectum & optimum, illi datus atq; immissus fuerit. Altius itaq; atq; profundius prophetiæ vocabuli naturam inuestigantes, communem methodum omnium philosophorum sequemur, quæ definitionem in operis cuiusq; vestibulo semper collocare videtur. Et quantū persipere possum veteres theologi integerrimi hāc latissimam dictionē adeò arctarunt atq; angustarunt, vt eam quæ latè vagabatur, intra septa continerent. quod vsu venit in multis vocabulis tum maximè in hoc, & in hæresi. nam cum hæresis ex dictionis notatione, sit sententia atq; opinio diuisa, atq; ab alijs distincta, quo nomine omnia philosophorū sententiæ nominabantur, veteres theologi, atq; idcirco centioribus confirmantibus, opinionē aduersus fidei præscriptaci peruicacia appellarunt: ex latissimo campo in angustias nomen deducentes, & latè vagantem dictionem in vincula quodammodo detrudentes. Quo autem iudicio hoc fecerint, si tempora illa infantiæ Ecclesię spectes, sano profectò: quî poterant aliter facere viri illi clarissimi, in schola apostolorum educati? Igitur circumscriptis & amputatis nonnullis, quæ ad prophetiam ex origine vocabuli attinebant, veteres illi patres ex aliquot sacræ scripturę locis collegerunt, prophetiam inspirationem esse spiritus sancti, qua prædicuntur reuera futura. Apud Dan. 2. cap. confitentur magi, & confirmant arioli, subscribit scientia omnis prophana, præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei. Hinc colligit Hierony. prophetas qui futura cecinerunt, spiritu Dei locutos: nec alios esse prophetas, quàm eos qui Spiritus sancti lumine illustrati futura vaticinantur. Hierem. 28. cap. Ananiam pseudoprophetam decipientem populum obiurgat, & docet, non missum fuisse à Deo. Audi Anania, inquit, non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istū in men-

in mendacio. Hieronymus in Hiere. annotauit, Ananiam ſeptuaginta interpretibus prophetam minime dici. quod ita eſt profectò. Verba ſeptuaginta adducam: Et factum eſt in quarto anno regnante Sedechia rege Iuda, in menſe quinto, dixit mihi Ananias filius Azor pſeudopropheta. quo loco Hebręi legunt propheta. & alio loco, Dixit Hieremias propheta ad Ananiam. nomen prophetę planè ſubticetur. Hebræi habent, Dixit Hieremias propheta ad Ananiã prophetam. Hieronymus iſta perdoctè componit, & in concordiã reducit. verum eſſe ait, Ananiam pſeudoprophetam fuiſſe, vt referunt ſeptuaginta: ſed dicebatur propheta, non quòd eſſet, nam Dominus non miſerat eum, ſed quia putabatur eſſe propheta. Mihi nõ eſt dubium, in Biblijs noſtris peſsimos quoſq; prophetas hoc nomine prophetæ vocari, quòd vulgus eos exiſtimet eſſe prophetas. Deus ipſe Hier. 23. ex ore Hieremię ita loquitur: Hæc dicit Dominus exercituum, nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, viſiones cordis ſui loquuntur, non de ore Domini: & paulò pòſt, Ecce ego ad prophetas ſomniantes mendacium, ait Dominus, qui narrant ea, & ſeducunt populum meum in mendacijs ſuis, & in miraculis, cum ego nec miſiſſem eos, nec mandaſſem eis, qui nihil profuerunt populo huic. Quadrant & Ezechielis verba, 22. cap. Prophetę autem eius liniebant eos abſq; temperamento, videntes vana, & diuinantes mendacia, dicentes, Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non ſit locutus. Et in Deuteronomio 13. cap. Si autem ſurrexerit in te propheta, aut ſomnians ſomnium, & dederit tibi ſignum vel portentum, & euenerit ſignum vel portentũ, quod loquutus eſt ad te, dicens, Eamus & ſeruiamus dijs alienis, quos non nouiſtis: non audietis ſermones prophetę illius, vel ſomniantis ſomnium illud, quoniam tentat Dominus Deus veſter vos, vt ſciat ſi diligitis Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra. & paulò pòſt: Et propheta ille, vel ſomniũ ſomnians ille morietur. Hæc vel manifeſtè probant, non eſſe prophetam, niſi qui futura ex Spiritu ſancto prædicit. Hæc autem prophetia cuius autor eſt Spiritus ſanctus, multa quidem, veluti viſionem, verbum, lemmata, prophetiam quæ per ſomnium fit, angelicam & humanam, ęcſtaſin, apparitionem ſpiritalem, habet. Quę qui dem omnia in præſenti explicare dum difficile ac longum foret, in tempus commodius differemus. Iam operę precium facturi videbimur, ſi munus prophetię à prima origine auſpicantes & hiſtoriã rerumq; ſucceſſum continuantes, in argumẽta, prophetarum, & potiſsimum Eſaię, circa cuius interpretationem diuina aſpirante gratia to-

tia totus noſter labor ac induſtria verſabitur, conquieſcamus. Primus itaque vt prophetarum legiſlator eſt Moſes: ita etiam primam omnium prophetiarum & eam quidem perfectiſsimam abſolutiſsimamq;, quæ temporũ & omnium Monarchiarum ortus, mutationes, finem ac internecionem contineat: & regnum huius mũdi mortale, caducum, inane & fragile, à regno cœleſti, perpetuo, perenni ac immortali ſeparat vt omnibus primum caput Geneſios cum attentione legentibus manifeſtum euadit, proponit.

Habet enim Moſes, in initio ſuę prophetię Deum æternam mentem & ſpiritũ in admiranda huius mundi compagine creanda, qui ornamenti & pulchritudinis nomine græci κοσμον, latini mundum appellant, ſex diebus elaborauiſſe, ſeptima vero die ab omni operedeſtitiſſe. Quę prophetia nihil aliud innuit, quam totam hanc mũdi machinam ſex mille annis emenſis collapſuram, & flagrantiignis flamma, cum in igne, vt Paul. ait, Dies Domini reuelandus ſit, in cineres ac fumum ruituram. Lapide è monte abſciſſo & fine manibus reuoluto, qui Monarchiarum deſtruat Idolum, vt in regnũ Chriſti montem magnum & excelſum in vertice montium hærentem excreſcat. At dices, quę eſt hęc fabula? túne ſex dierum numero atq; inde ſex mille annorum interuallo Mundi interitum abeius origine remotum, ac iudicij diem tempore notato, definis, quę Chriſtus ipſe nulli mortalium, ne angelis quidem in cœlis notum eſſe affirmat: ſed in ſolius Dei patris arbitrio poſitũ eſſe clariſsimè pronunciat. Sane hæc non ita intelligenda ſunt, quaſi Chriſtiani in ſacris literis eruditi coniecturis è verbo Dei eiuſq; operibus petitis Seculum, Annum, Diem, &, Horam qua Dominus ad iudicandũ viuos & mortuos reuerſurus ſit, definiant, dum ſolum tẽpus ipſum generali quodam calculo præſagiant & circumſcribant. Diem illi & Horam duntaxat ignorant, vicena tempora ex complemento & abſolutione cœleſtis ciuitatis prędicationiſq; euangelij perfectione, colligunt. Non enim legitur in Euangelio, tempora fini mundano vicina eſſe incognita, ſed Apoſtolos neſcire potuiſſe tempora & articulos temporum quos pater omnipotens in ſua ipſius poteſtate poſuit. Quem locum ſic accipiendũ puto, vt Euangelio & eiuſdem ſeruatoris verbis conſonet: tempora namq; vicina non ſolum ab angelis ſed etiam à nobis ſciri poſſunt. Tale eſt quod de Adamo primo omnium noſtrorum parente literis proditum eſt, eum aquarum illuuionem, exuſtionemq; mundi pręuidiſſe prædixiſſeq;, tempus verò ac diem non determinauiſſe. Ioſephus lib. 1. ca. 4. Iudaicarum antiquitatum. Cum prędixiſſet, inquit, Adam exterminationem

rerum omnium, vnam ignis virtute, alteram aquarum vi ac multitudine venturam &c. Si ergo Adam, qui primus omnium mortalium, qui neq; successum rerum, vicissitudinemq; historiarū reuolutarum, neq; Saluatorem ipsum, qui omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, agnouerat, qui neq; prophetas neq; apostolos viderat nec audierat, intellexit mundum aquis ad insolitam magnitudinem excrescentibus repurgādum aut ignis flagranti flamma consumendum, qua re rerum earundem notitia omnibus ijs declaratis & manifestatis, homini adimenda sit non video, præsertim cum ad inquisitionem extremi temporis aptissima similitudine Saluator noster in Euangelio nos blandissimè inuitauit. Incipientibus autem his fieri inquit, suspicite & leuate capita vestra, à ficu autem discite similitudinem, quando iam ramus eius tener fuerit, & folia protruserit, scitis quod iam propè sit æstas: sic etiam quādo videritis hæc omnia fieri scitote quod regnum Dei prope sit in foribus. His autem verbis non tantum è statu rerum olim futuro, tanquam in re præsenti, coniecturam faciendam vulgò cōmisit: Rerum etiam paulò sapientioribus, tempus illud optabile, multis antè indagandum & prouidendum seculis mirificè commendauit. Sicut enim Agricolę ingruentem æstatē ex arborum germinatione cognoscunt, Astronomi etiam germinationis tempus ex Astrorū motibus definire & in quantūuis longum tempus pronunciare possunt: ita vulgus Christianorum appropinquātem mundi finem, ex signis à Christo indicatis iudicare, Theologi verò, etiam curricula temporum & ætates, quibus queq; signa certo ventura sint, è sacrarum literarum mysterijs eruta existimare, & multis ante seculis designare possunt. Hinc factum est quod D. Hieronym. in Epistolari expositione psalmi 89. ad Cyprian. ex versic. Quoniam mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesterna quę præterijt, deducat, omnem præsentis seculi durationē ab orbe condito, vsq; ad diem iudicij sex milium annorum spacio concludi: sic scribens: Ego arbitror ex hoc loco & ex Epistola quæ nomine Petri inscribitur, mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, & postea venire septenariū numerum & octonarium, in quo verus exercetur sabbatismus & circuncisionis puritas redditur, vnde & octo beatitudinibus bonorum operum merita promittuntur. Scribit autem Petrus hoc modo: vnum hoc vos non prętereat dilectissimi: quia vna dies apud Deum quasi mille anni & mille anni quasi vnus dies. Hæc sunt Diui Hieronymi verba, ad quam sententiam

& in alijs locis alludit. vt in commentario Micheæ cap. 4. vbi sexti atq; nouissimam sexti millenarij horam, tempus fidei gentium esse ostendit his verbis: In consummatione seculorum saluator noster apparuit & in vndecima hora conducendos operarios venit: &, cõpleta illius passione, Ioannes dicit: Filij nouissima hora est. nam si in sex milibus annis, quingenti anni per horas diei singulas diuidãtur, nouissima hora est consequenter tempus fidei gentium. Eadẽ opinio fuit olim multorum magni nominis patrum, in primis Iustini philosophi & martyris, in libro quæstionum ad Gentes quæstione 71. ita scribentis: Ex plerisq; scripturæ verbis intelligere licet, verum pronunciare eos, qui sex annorum milia esse tẽpus nunc ab orbe condito tradunt, &c. Irenęus post hunc libro 5. aduersus hæreses capite vltimo in eandem sententiam sic loquitur: Quotquot diebus hic factus est mundus, tot & millenis annis consummatur: & propter hoc ait scriptura Geneseos: Et consummata sunt cœlum & terra, & omnis ornatus eorum. & consummauit Deus in die sexto omnia opera sua quæ fecit, & requieuit in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit. Hoc autem est antè factorum narratio, quẽadmodum facta sunt & futurorum prophetia: est enim dies Domini quasi mille anni, in sex autem diebus consummata sunt quæ facta sunt. Manifestum est ergo, quoniam consummatio eorum sextus millesimus annus est. Lactantius libr. 7. Institutionum, cap. 14. Irenęo subscribit, & mundi huius finem similiter post sex annorũ milia à mundi creatione dinumeratione inita, fore existimauit. Sic enim inquit: Sciant igitur philosophi, qui ab exordio mundi seculorum milia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum: quo numero expleto cõsummationem fieri necesse est, humanarum rerum statum in melius reformari, &c. Hilarius Canone in Matthæũ 17. exponens illud: Et post dies sex transfiguratus est, ait: eum per sex dies gloriæ Dominicæ habitus ostenditur, sex milium scilicet annorum temporibus euolutis regni cœlestis honor præfiguratur. Idem apud Augustin. lib. 20. cap. 7. de Ciuitate Dei reperitur, Auctor Gloſę ad caput 3. Geneſios dicere videtur, completis sex annorum milibus quasi sex ætatibus in septima militantem iustorum ecclesiã in quietem cœlumq; perducendam. Germanus Constantinopolitanus episcopus, ad hunc numerum annos quingentos, ex auctoritate illustrium patrum Græciæ adiecit. is enim cum in eo libro quem de Theoria ecclesiasticarum rerum inscripsit causam inquireret, cur pontifex populo benedicens, digitos attollat ad supputationem nũmeri sexies millesimi & quingẽtesimi

tesimi accõmodatos, sic loquitur: Quòd pontifex obsignat populũ, id subindicat futurum aduentũ Christi anno sexies millesimo quingentesimo fore, ex supputatione digitorum significante sexies millesimum quingentesimum. Id & Hippolytus è Roma, & sanctus Cyrillus dicunt in libris de antichristo, anno sexies millesimo quingentesimo, futurum aduentum fore, ita & Chrysostomus.

Hęc de orbis duratione ac sex dierũ ꝓphetia, quibus mundus creatus est, Christiani auctores prodiderunt. Apud ethnicos eadẽ prodidisse Hidaspen, Mercurium Trismegistum, ac Sibyllas, testis est Lactantius. Apud Hebræos vero in Talmudicis voluminibus domus Heliæ habetur traditio, cuius hæc est sententia. Tradidit domus seu schola Eliæ dixisse Eliam: Sex milibus annorum durabit mundus, duobus milibus inane, duobus milibus lex, duobus milibus dies Christi. Hactenus Elias. Postea subijciũt Rabini: Ac propter peccata nostra, quæ plurima sunt, præterierunt ex ijs, quot-quot iam præterierunt. Sed his omissis, alias quasdam coniecturas adferamus, quę hanc Prophetiam sex dierum omnium primam, & quę postremo omnium perficiatur, confirment: Exemplum seu historia Enoch & Helię similis est, cum ambo viui ex hac misera & ærumnosa vita ad beatam immortalitatẽ morte non gustata translati sint: Sicut enim sex primę generationes, scilicet, Adam, Seth, Enos, Cainan, Mahalalael, Iared, mortuæ sunt, septima generatio ipse scilicet Henoch, quem & Iudas in Epistola sua septimum ab Adam non sine causa prædicat, immortalis est: Ita sex millenarijs mundi mors regnabit, septimo autem beata immortalitas vigebit. Et sicut prima sex secula siue sex ætates cuius septimam continuauit & sublatus est Helias immortalitatem adeptus, nam Elias viuus in igneo curru raptus est: ita etiam sex millenarijs mortalis hęc vita durabit, septimo verò ingruẽte Christo in cœlum obuiam rapiemur: seculum enim appellamus quam diu homo viuit. ita Hebræi Heliam appellant septimum ætatis humanæ continuatorem. Primus enim Adam. hunc vidit Mathusalem, vitaq; primi hominis vsq; in Mathusalem se porrexit, Mathusalem vidit Sem filium Nohe, Sem peruenit vsq; ad Iacob, Iacob vsq; ad Hamram, patrem Mosis, Hamram vsq; ad Ahiam Silonitem, Ahias aũt vsq; ad Heliã Helias vero vsq; ad finem mundi cum ad Deum translatus sit. His coniecturis etiam vsus est Ioannes Picus Mirandulanus cum anno M.D.LXXXVI. currente, inter noningentas suas disputabiles conclusiones etiam hanc posuit: Si qua est de nouissimis temporibus humana coniectura, inuestigare possumus per secretissimam viam

Elias propos

viam Cabalæ, futuram esse consummationem seculi, hinc ad annos quingentos quatuordecim, & dies vigintiquinque. Verũ magnis de causis alij affirmant, sextum millenarium nequaquam completum iri. Nam sicut in lege sexta dies non tota concessa est ad operandum, sed insignis aliqua pars eius adijcitur sabbato circa vesperum: ita sextus millenarius non totus conceditur huic mortali vitæ, sed luculenta pars eius circa finem resecabitur, atque à beata illa & æterna requie præoccupabitur.

Patet verò & aliquot Noui testamenti locis, priusquam dies Iudicij adueniat dies illa extrema quando cœli mouendi sunt & terra, Iudæos iri conuersos & cæteros, vt inquit Paulus, vt vnus sit pastor & vnum ouile: quod adhuc non contigit. Paulò etiam id iudicium præcedet Antichristus, quem Zacharias Pastorem stultum & idolum vocat, Daniel Regem impudentem & laruatum, Paulus ad Thessalonicenses 2. cap. 2. Discessionem, hominẽ peccati & perditionis filium, Euangelistæ verò Abominationem vocant & desolationem, in loco Dei & templo sedentem. Hic, inquam, populorũ euersor, & præsentaneum animarum venenum, antequam dies Domini magnus adueniat, se verum esse Christum prædicans aderit, seque pro Deo adorandum colendumque prębebit, obtrudetque ostentans & iactans, seipsum esse Deum: quem Dominus tandem spiritu oris sui conficiet, & claritate aduentus sui abolebit, vt loco prę notato Paulus testatur. Hunc Dan colubrũ à Iacob Geneſios ca. 49. nonnulli dici putauerunt: quod & Ambros. in libr. de benedictione patriarcharũ arbitratur. Lactãtius Firmianus, in Syria. Augusſt. in Babylone nasciturũ dicit, versaturum aũt in Betzaida, & Corosaim. Nascetur aũt, vt Augusſt. & Damascenus lib. 4. c. 27. opinantur, ex adulterio, vnde non mirum si ab eo adulterinæ traditiones emanaturę sunt. Huius antichristi etiam alio loco Augusſt. meminit, lib. 2. contra aduersariũ legis & prophetarum, de ijs agens qui sese extollentes supra Christum antichristum se esse ostendunt: non vnum illum maiorem cæteris, sed ex his aliquem de quibus dicit apostolus: Nunc antichristi multi sunt. Eos enim dicebat Hæreticos qui temporibus apostolorum esse cœperant, quorum primus Simon Magus, successores Basilides, Carpocrates, Cerdon, Marcion & Apelles. Ex hac D. Augustini sententia colligitur non inepte nostrorum temporum hæreticos catholicæ ac Romanę Ecclesię vnitatem erroribus sęuissimis interturbantes antichristos appellari, aut si non antichristos, saltem pręcursores antichristi. Qua in re præclaram operam præstitit pię recordationis & æterna memoria Catholicis omnibus

nibus ſuſpicien'us vir clariſsimus, D. Fridericus Staphylus diſceſsionem eam de qua Apoſtolus 2. ad Theſſ. c. 2. agit Lutheraniſmum deſignare,& Lutherum antichriſti prodromum ac præcurſorem eſſe oſtendens: vt quemadmodum Ioannes Baptiſta præcurſor Chriſti & vox clamantis in deſerto ad præparandam viam Domini fuit: ita Lutherũ cùm diſceſsionis auctor ſit quæ detinebat perditionis filium,vt Paulus ait,antichriſto viam præparauiſſe abundè ſatis declarat. Quo autem huius rei maiorem fidem faceret,collationem Ioannis baptiſtæ atq; ipſius antibaptiſtæ Lutheri inſtituit, vnde vitæ, morum, ac doctrinæ, Ioannis Baptiſtæ & Lutheri antibaptiſtæ diſsimilitudo eluceſcat, & eum non præcurſorem aduentus ſecundi Chriſti, atq; extremi diei Eliam & Ioannem qui ſpiritu oris ſui diſſlabunt antichriſti dolos & impoſturas: ſed præcurſorem ſeu prodromum perditionis filij,& magnæ iſtius diſceſsionis ac turbę,cuius apoſtolus meminit,in eccleſia Catholica aſtorem eſſe. Hanc collationem apud Fridericum Staphylum inuenimus in libr.cui titulus eſt, Daß das Lutherthumb der groß abfal/vnd des Antichriſts vorrab ſey/ Hoc eſt Lutheraniſmum magnam diſceſsionem eſſe (cuius meminit apoſtolus niſi venerit diſceſsio primũ)&Lutherum filij perditionis prodromum. Et inter cætera duos locos, quorum alter de locuſtisſimilibus equis 9. Apocalypſ. alter 16. pulcherrimè de Luthero atq; eius hæreſi interpretatur. Nam quòd per locuſtas hæretici intelligantur,ipſe contextus,atq; patrum autoritas perſuadet,vt ex Auguſtino, Oecumenio, Ambroſio, Amsberto ac aliorũ patrum interpretatione manifeſtum eſt. Vbertinus per locuſtas hæreticos quinti ſtatus intelligit,qui pertinaciter errorem ſuum defendentes,ad mortem vſq; in eodem perſeuerent. Vnde autem fumus oriatur ac qua in parte puteus ſitus, Eſaias propheta declarauit: Ab aquilone venit fumus ſic ut fumus fornacis magnæ. Si verò inquiratur quid per aquilonem intelligatur, reſpondet Abbas Ioachim, & Vincentius Dominicanus in tractatu de fine mundi, eſſe gentem Alemanorum cuius mater ſit Saxonia Hoc loco egregiè deducto,alterum Apocalypſios cap.16.ſcriptum de Luthero eiuſque ſchola ac progenie,luculenter interpretatur,Lutherũ Draconem & beſtiam affirmans,de cuius ore pſeudoprophetę & ſpiritus tres immundi in modum ranarum exierint.

Tres ſpiritus hos immundos Fridericus Staphylus, arbori tribus ramis partitæ pulcherrimè aſsimilari declarauit, quo in loco non ſolum principales hos ſpiritus nominat, verum omnes cæteros qui ex his quaſi ortum trahentes,mũdum interturbent. Huius arboris ramis potiſsimum tribus principalioribus ſectæ ipſę ac hæreſes ortæ ex Luthero annumerantur. Ramus dexter ſibi vendicat hæreſin Anabaptiſtarum.

ſtarum. Etenim cum Bernardus Rotman laicus indoctus Lutheri epiſtolam ad VValdenſes legiſſet, è Lutherano confeſtim factus eſt Anabaptiſta. Hic ramus tandem numeroſa produxit folia. Adamitas, Stebleros, Sabbatarios, Clancularios, Manifeſtarios, Dęmoniacos, Communia habētes, Cōdormientes, Eiulantes, Georgianidauidicos, Mennonitas, & Polygamiſtas. Siniſter verò ramus habet Sacramentarios. Nam Zuinglius è paſtore miles, cum Lutheri aſſertiones reſolutiones ac item librum de formula miſſæ perlegeret, de repente prodijt Sacramentariorū pater, fœcunda quoq; ac multiplici tetra tamen progenie nobilis, quæ & ipſa excreuit in plurima folia. videlicet, Significatiuos, Tropiſtas, Energicos, Arrabonarios, Adeſſentiarios, Metamorphiſtas, Iſcariotiſtas, Neutrales ſacramentarios & Iconoclaſtas. Tertius ſpiritus in vertice Lutheri tanquam in trunco reſidet, videlicet Philippus Melanchthon auctor ac progenitor Confeſſioniſtarū. ex quibus exortæ ſunt ſectę inſignes ſingulæ in ſuo genere vberes, nimirum & ipſę in tres ramos diuiſæ. Dexter ~~continet rigidos & Stoicos~~, cuius folia continent Antinomos, Samoſatenicos, Infernales qui negant infernum, & Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, Infernales alios qui affirmant Chriſtum non modo deſcendiſſe ad inferos, ſed æternos quoq; inferni cruciatus ibi perpeſſum eſſe, Antidæmoniacos, Amsdorphianos, Antidiaphoriſtas, Antoſiādrinos, Antiſuenckfeldianos, Anticaluinianos, Manus impoſitorios, Biſſacramentales, Sacerdotales, & inuiſibiles. Siniſter ramus habet molles & politicos, cuius folia cōtinent Bibliſtas, Adiaphoriſtas, Triſacramentales, Quadriſacramentales, Lutheri caluinianos, Semioſiandrinos, Maioriſtas, Pœnitētiarios, Nouipelagianos, & Syncretiſantes. Medius ramus habet Extrauagātes, cuius folia continent Suēckfeldianos, Oſiandrinos, Stanckarianos, Antiſtanckarianos, Nouipelagianos, Nouimanichęos, Manichęos, & Marcionitatianos.

Ex hac Babylonica confuſione liquet, diſceſſionem veniſſe, ac antichriſto ſtratam eſſe viam, mundiq; finem imminere, vt reueletur perditionis filius, ac tyrannidem 42. menſibus exerceat. Quo nomine neceſſe eſt fateri Lutheranos, cæteris omnibus omiſsis, quæ minimè pontificiconueniunt, Pontificem Rhomanum, qui iā diu plurimis annis floruerit ac floreat, non eſſe antichriſtm: cùm non plus triennio regnaturus proponatur. Melanchthon tamē, & tota eius Schola, & diſcipuli hęreſi eius immerſi, ſunt in eadem cum Helia ſententia, nec vnquam ceſſant hoc ſeculum propterea vocare huius mundi ſenectam. Sed putant hunc eſſe illum Heliam prophetam ſacræ ſcripturæ, cùm ſit Rabinus. Forſan autoritate permoti ſunt Stratonici Cumarum Epiſcopi, qui in Collectaneis ſuis citat ex libro Traditionum Heliæ prophetæ prædictionem

ctionē de mundi consummatione, quæ futura sit anno sexies millesimo ab eius creatione. Fieri itaq; potest, vt Stratonici & Talmudici eadem sit diuinatio. Atq; in confesso est, ex Euangelijs, Epistolis, & Apoc. multa colligi loca, quibus de fine mundi non procul abfuturo coniecturæ non imbecilles capiantur. Item Astrologos, propter omnium seu planetarum coitionem & concursum sub annum 1588. qualis nunquam visus est, constat ex cœlo rationes adferre, quibus mundi finem, aut grauissimas perturbationes imminere, concludunt. Id quod omnium primus Ioan. Regiomontanus etiam versibus Germanicis testatus est:

Tausent fünffhundert achtzig acht/
Das ist das Jahr/ welchs ich betracht/
Geht in dem die Welt nicht vnder/
So geschicht doch sonst groß merclich wunder.

Et constat plurimos doctos viros nostræ ætatis suspicari aliquid memorabile euenturum circa hoc tempus, quidquid id sit, soli Deo omnium moderatori notum. Habētur etiam vaticinia vetera ad id tempus. Verùm his omissis, singulos dies cum eorum designatione & historia, quæ mille annorum est, assumamus, vt ita paulatim ad Esaiam veniamus. Nam in illis reconditissima mysteria & omnium ætatum indubitatas prophetias contineri existimamus, à Moyse velatas, ne rudi & agresti populo vel non intellecta vilescerent, vel idololatriæ occasionē præberent. Nam quòd opus illud Dei altissimi sex dierum spacio à Moyse distinctum tradatur, vt decreta veteris Hebraicę disciplinæ testantur, nihil aliud est, quàm sex mille annorum prophetia.

Prima die fecit Dominus lucem, terra informi & inani existente, vt scilicet illucesceret creaturis primo millenario splendor & claritas Dei, & intelligerent lucem Dei altissimi, & in ea ambularent. Porrò cū primi parentis casum procurauisset Satan, & pręuaricatus esset Adā per Euam, lumine illo confestim destituti sunt, tenebris super faciem terræ ingruentibus, donec veniret tempus adimpletionis, hoc est, vera lux de lumine, lux Dei & lux gentium, propter quam omnis prophetia instituta est. Propter hanc regius propheta Dauid sic exclamat: Mitte lucem tuam, id est, Messiam, qui comparatur luci: quia paraui lucernam Christo meo. Hinc est, vt dum hac luce destituemur, Patriarchis & Prophetis diuinitùs nobis adhibitis, ne fortè in tenebris ambulantes offenderemus pedes ad lapides, regendi traditi sumus. quibus dum obedire nolebamus, secundum Paulum, factum est, vt traderemur in passiones ignominię, & turpitudinē operaremur, vt ex prima parte Geneseos abundè cernere licet. Onkelos Chaldęus interpres pro terra informi & inani, squalidam, desolatam, & vacuam vertit: quod primæ ætatis populum rudem, vtpote rudi massa ortum, significauit.

Secunda die Deus distinxit aquas supra firmamentum ab aquis, quæ infra firmamentum sunt. Rectè populus Israeliticus, qui solus, vt inquit Hieremias, signa cœli non timet, solus stellarum cœliq́ue auctorẽ, & dominum agnoscit, & agnitum colit ac veneratur, per aquas supercœlestes figuratè intelligendus venit. Cæterùm quomodo supercœlestes aquæ secundi millenarij vaticinium fuerint, non erit adeò difficile, si temporum rationes & personarum diligẽtiùs expenderimus. Antequam enim Adam ex hac vita in alteram commigraret, cunctis diebus vitæ suæ prophetiæ spiritu clarebat: & in pœnitentia summa viuebat: & filios, quo minùs cum Cain, eiusq́ue posteritate consortio fruerentur aut matrimonio iungerentur, arcebat. Hic postquam 930 annos compleuerat, obdormiuit in domino in Ebron sepultus, & reliquit seminaria veritatis, veras aquas supercœlestes, vnde facilè bonis & pijs consolatio futuræ salutis adesset. Primus autem horum Seth fuit. Hũc sequitur Enos, qui nomen Domini inuocare cœpit. Deinde Henoch, quem, vt à malis distingueretur, tulit dominus. hæc ad vsque Noach linea deducitur.

Aquæ contrà, quæ infra cœlum, sunt ij scilicet, qui ex Cain semine nequam orti eiusq́ue viam ingressi subterraneis rebus magis addicti, vbi Mamon regnat, feculenti, crassi, & putridi facti, vagi nunc huc, nũc illuc, instar planetarum & incõstantes, æstuante corde in cupiditatibus mũdanis tenebris obtecti sunt. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, iuxta Apostolũ, vt faciant ea quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, pleni inuidia, homicidio, cõtentione, dolo, malignitate, Deo odibiles, contumelioſi, superbi, elati, &c. perpetrabant enormia scelera, quam ob causam diluuio, & facientes, & consentientes, quiue pœnitentiæ nullum tribuerẽt locum, Deus funditus deleuit, & penitus extinxit, quod anno mundi 1656. contigit, vt solus Noach, ne deesset seminis benedicti linea, cum sua familia ab aquarum impetu per arcam reseruatus sit.

Tertia die germinauit terra herbam virentem. Quid hic aliud herba virens protendit, quàm semen benedictionis? Hæc est illa herba, quam Apostolus opportunam, benedictionem accipientem à Deo, appellat. Et Esaias luce meridiana clariorem reddit in hæc verba: Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, &c. Herba ista est sicut ros Hermon, qui descendit super montes Zion, quoniam illic mandauit Dominus, vt Psalmus canit, benedictionem. In die siquidem illa, vt Esaias habet, erit germen Domini in magnificentia & gloria & fructus terræ sublimis, & exaltatio his, qui saluati fuerint de Israel, &c. Item vir

Iuda

Iuda, germen eius delectabile. Hinc abundè satis constat, cùm inquit: Germinet terra herbam virentem, virum aliquem tertia mundi ætate futurum, hoc est, tertio millenario, in cuius posteritate perpetuò Ecclesia Dei consisteret. Cùm maria, seu gentes, ab agnitione, & vero Dei cultu, declinarent, electus Abraham, qui annunciaret renouationẽ promissionis: circumcisio, velut eius symbolum & incitamentum ad credendum, & in eius filio Isaac semen illud benedictum positum. Ex semine enim Isaac Christus est, eiusque typum prę se ferens. Ex Isaac Iacob, qui Israel, hoc est princeps Dei, appellatus est. Aduerte deinde ad duodecim tribus Israel, quorum successum & historiam tertia mundi ætate, Quinque libri Moysis, liber Iosuæ, Iudicum, & Ruth, ac Samuelis, declarant. In Genesi enim de creatura mundi, de exordio generis humani, de diuisione terræ, de confusione linguarum & gentium alexitum vsque Hebræorum, de fide Abel, Henoch, Nohæ & Abrahę: de copula, de serpente, de sanguine Abelis, de semine, de vocatione Abrahæ, de Melchisedech rege Salem, sacerdote summi Dei: de signo circũcisionis, de diebus Loth, Sodomæ & Gomorrhæ, de vxore Loth, de Isaac, de Esau & Iacob, de fide Ioseph, &c. Exodus de fide Moysis, de Baptismo in Moyse, & transitu maris, de cœlesti pane, & potu spirituali, de gente sancta, de præceptis, & similibus mysticis diuinisq; mandatis. Manifestus quoque est Leuiticus, de sanctis, de Sabbato, de oblationibus, primitijs, de decimis, vbi singula sacrificia, imò singula penè, vt Hieronymus inquit, syllabę, & vestes Aaron, & totus ordo Leuiticus, cœlestia spirant Sacramenta. Numeri porrò totius arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum mansionum, mysteria continent. Deuteronium, quem secundam legem & euangelicæ legis præfigurationem Hier. testatur, agit de personarum acceptione, de igne diuino omnia consumente, de collatione panis, & verbo diuino, de propheta quem suscitarat dominus, de testimonijs, de ascensione in cœlos, de vindicta & similibus: quæ omnia sunt signa certissima futurorum bonorum. Et reuera Pentateuchus Moysis illa quinque verba sunt, Hiero. teste, quibus loqui se in Ecclesia velle Apostolus gloriatur. Iehosua, Hieronymus inquit, typum domini non solùm gestis, verùm etiam nomine refert. Transit Iordanem, hostium regna subuertit, diuidit terram victori populo, & per singulas vrbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia, Ecclesiæ cœlestisq; Hierusalem spiritualia regna describit. Miraculis ostendit Deus se esse cum Iosua, duodecim lapides in memoriam siccati Iordanis erigit, secundò populum circumcidit, pluit lapides, sistitur Sol & dies prolongatur, ossa quoque Ioseph in Sichem sepeliuntur. Iudicum libro,

quot principes populi, tot figurę continentur. Ruth ducitur in vxorem à Boos, qui linea Christi est, & parit Obed, vnde originem Dauid ipse, ex cuius semine saluator, traxit. Secundo & tertio Regum agitur de euectione filiorum Israel in Regnum, & de Saule ac Dauide. Demũ de quarta die, hoc est millenario quarto, in qua noster scopus est, agitur.

Quarta die fecit Deus luminaria, quæ distinctionem faciant inter diem & noctem, vt lumen præbeant super terram. Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius in dominium diei, & luminare minus in dominium noctis, & stellas, posuitque eas Deus in firmamento, vt lucem præberent super terram. Quandoquidem rursus tenebræ filios Dei, & quidem densissimæ etiam post legem latam inuaserunt, adeò vt legem quoq; Dei spernerẽt, & lucẽ primi diei iam olim pulsam, dęmoniorum cultibus, & grauissimus delictis non secus ac in tempore inani deditissimi nihil minus quàm cernerent: voluit Deus immensam suam misericordiam hac in parte quoque patefacere, atq; luminaria in firmamento cœli creare, quę distingueret diem à nocte, ipsamque nimirum lucem à tenebris, hoc est, voluit lege, quæ per firmamentum figurata est, addere luminaria, hoc est Prophetas, qui piosab impijs discernerent & segregarent: qui iustitiã Dei eiusque voluntatem docerent, atque cultum alienorum deorum improbarent. Hîc Dominus figuratur per solem: reliqui verò Prophetæ, qui præessent nocti, hoc est ijs, qui sub lege tanquam pęda gogo versarentur, per lunam & stellas. Reuera enim tẽpus legis non est respectu temporis gratię. De luminaribus itaq; atq; pręclarissimus mũdi luminibus nobis tractantibus primus sese offert Helias.

Hic Elias propter impietatem Achab, qui successit Baasa, Ela, Zambri & Amri, qui antequam reædificaretur Iericho, vxorem Iezabel duxit, iuxta oris sui verba, certis annis pluuiam & omnem rorem prohibuit, ideò torrens, dum pascebatur à coruis, siccatus est: Viduæ Sidoniorum Sareptanæ farinæ pugillum in hydria, & paululum olei in lecytho habenti, per totum illud tempus, quo non pluerat, inexhaustum reddidi, eiusque filium mortuum Oronem suscitauit: quadraginta Baal sacerdotes interficit, qui tum demum fugiens Iezabel ab angelo pascebatur, mortem Iezabelis prædixit, & postquam Ochoziam lapsum ècœnaculo & Beelzebub consulentem corripuisset, ac quinquagenarios igni consumpsisset, mortuoque Ochozia viuus curru igneo, & equis igneis ab Eliseo diuisus, per turbinem in cœlum, sublatus est. Porrò Eliæ ELISEVS, filius Saphat de Abelmeula, quem ELIAS arantem repererat, & pro se Prophetam vnxerat, & ipse doctrina pariter atque miraculis clarus, successit,

[illegible] aquas mortiferas dulces reddidit, quem vbi pueri irriderent, ab [illegible] lacerati sunt: Regibus Iudæ, Israel & Edom, à Deo aquas impetrauit: pauperculæ viduæ oleum, & Sunamitidi hospitæ sterili filiũ à Deo impetrauit, eumque mortuum oratione suscitauit: amarum pulmentum dulce fecit, viginti panibus hordeaceis centum viros [illegible], & plures supererant. Naaman Syrum à lepra curauit, ferrum [illegible] natare fecit, Syros obcæcatos in mediam Samariam duxit. Deinde per vnum ex filijs prophetarum [illegible] filium Iosaphat, filij Nam si, regem super Israel inunxit. Vix [illegible] ELISEVS vsque ad Amasiæ regis Iuda regnũ, ac qu[illegible] iusdem, hoc est, sub Ioas regis Israel anno sexto, mortuu[illegible] cadauer mortuum hominem alium, à quo fortuitò tangebat[illegible] tæ restituit. Hinc manifestum est, quomodo luminaria creata sint in signa miraculosa & insolita. Suscitare enim mortuos, in cœlos subleuari, exiguis panibus multos pascere, lepram curare, & similia, ab Elia & Eliseo facta, exercere, non potest non esse nisi miraculum & insolitum quippiam.

De cæteris autem Prophetis acturi ab ESAIA filio Amos exordium sumamus, [illegible] Hieronymo non prophetiam texere, sed Euangelium visus est. Ingratitudinem [illegible] prædicit, cùm inquit, Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit, & [illegible] Iudæorum, credentium, Apostolorumque exiguum numerum relictum, & [illegible] cur à ceremonijs & sacrificijs Iudaicis Deus abhorreret, præuidet, verum Dei [illegible], pœnitentibus remissionem, non pœnitentibus exitium præscribit, peccata Ierusalem deplorat: sententiam laturus in impios ingemiscit, conseruatis pijs, Ierusalem in pristinum statum restituendam, Ecclesiam primam in Ierusalem, montem, gentium ingressum, & doctrinam Euangelij, doctore Christo, ex Sion prodituram, Iudæorum abiectionem docet. Solitudinem & vastitatem quanta esset futura, quam denunciauerat Iudæis, describit: simulatq; quàm grauis & horrenda vltio populo imminet, ostendit. Christi aduentum & eius regnum, quodq; gentes Euangelium suscipiant, euersionem quoq; decem tribuum Israel ob superbiam eorum in Deum vaticinatur. Christi natiuitatem ex radice Iesse, opera & fructus Euangelij, vocationem gentium, Iudæ & Israelis, à captiuitate ad Euangelium, veram reductionem, & Apostolos adducentes omnes ad Euangelium prænunciat. Christianorum gratiarum actionem pro Dei misericordia per Christum eis facta, destructionem Babylon, eiusque onera & afflictiones post reuersionem Iudæorum ex captiuitate, excidium Philistæorum sive Palæstinorum, Moabitarum, Assyriorumq; ruinam, & Damascenorum Aegyptiorumq; vastationem, atq; horum ad Christum conuersionem prædiuinat. Idumææ & [illegible] ruinam, obsidionem vrbis Ierusalem à Sennacherib, Tyri excidium & reparationem, euersionem terræ sanctæ ob Christum non receptum, prædicit. Synagogæ & populi Iudaici vastationem, eorum conseruationem per Christum, Ecclesiam item Christi, Iudæorum cæcitatem, flagella non videntium, pacem fidelium, & consolationem describit. Iudicium Dei & vniuersum regnum Sathanæ depingit. Iram Domini Israeli primùm, deinde Iudæis impendere ostendit. Destructionem Ierusalem, excæcationem Iudæorum, eorumq; reiectionem, doctrinas hominum mandato Dei præferentium, regnum Euangelij à Iudæis superbis ad gentes cæcas conuersum præuidet,

lætitiam

lætitiam & consolationem credentibus in Christum promittit, signaq; aduentus Christi & Christum viam ad patrem docet, victoriam Ezechiæ prænunciat, Ioannis Baptistæ aduentum & Christum pastorem annunciat. Christi aduentum dæmonibus maximè terribilem, & omnes peccatores existere, eoq; iustificatore egere, qui patri placet, fœdus nostrum, gloria, & laus Dei est, exponit. Orientales Christo credentes, redemptionem Ecclesiæ & liberationem, gentium in vnius Ecclesiæ congregationem, externum cultum fide destitutum, & reiectum, dimissis peccatis, abundantiam donorum spiritualium, restitutionem Iudæorum per Cyrum, Christum consputum & alapis cæsum, Christum in [illegible] inimicis Christi pœnitentibus veniam, finem tribulationis, prædic[illegible] dum missos, Christi passionem & glorificationem, Christum in [illegible] ex gentibus Christo credentes quàm ex Iudæis, verbum Dei pr[illegible] [illegible]tur. Iustorum finem incognitum, impiorum iudicium, spe[illegible] [illegible] æternæ hæreditatem, Christum siue vnctum missum ad prædica[illegible] [illegible]oltationē Ecclesiæ in spe promissionum Dei lætantis, regnum Ch[illegible] [illegible] præuidet. Hæc præfationis loco in prophetiam Esaiæ, circa cuius inte[illegible] [illegible] omnis cura ac labor noster, Deo volente, versabitur, dicta pro temporis [illegible] sufficiant. Dixi.

AD LECTOREM.

[illegible]gustia temporis [illegible] lector, remorata est [illegible] orationem, quo minus integra, & quem[illegible] [illegible]uodammodo in compendium [illegible] [illegible]ophetarum attinet, exemplo [illegible] [illegible] proxima occasione & commo[illegible] [illegible] integra Oratione in lucem pro[illegible] [illegible]dibunt. Vale.